



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt XXI. Quibus authoritatibus probatur, quod Christus verè resurrexit à mortuis, & ad cælos ascendit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

tus est. generationem eius quis enarrabit? propterea dabit impius pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & voluntas eius in manu Domini dirigetur. Hoc totum ad Christum refertur. Ascēdebat Christus tanquam virgultum, quando proficiebat aetate & sapientiā apud Deum & homines. Verē languores nostros ipse tulit, id est, abstulit; & dolores nostros ipse porrauit, id est, asportauit. Ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelerata nostra. Et quoniam vniuersā hęc propriā voluntate non coactus pertulit, idcirco adiecit: oblatuſ est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Hoc idem assumpta hominis esse videtur, cetera quę sequuntur, hominem excedunt, & solius Dei sunt: de angustia & de iudicio sublatus est, quia mortuus, ab ipsa morte detineri non potuit, cuius generatio est inenarrabilis. Quomodo enim Deus consubstantialē Filium ex se signat ante tempora, & semper, quis enarrabit? quomodo prædestinatis temporibus ex matre sine virili semine homo creatus sit, & eum Deus alumpserit in vnitatem Personę, quis enarrabit? Propter scelus quidem non suum, sed populi mei, percussus est. Quid enim sceleris admisit, qui peccatum non fecit? nec inuentus est dolus in ore eius? Et in psalmo legitur: [a] *Toderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.*

CAPVT XXI.

Quibus auctoritatibus probatur, quod Christus verē resurrexisset à mortuis, & ad calos ascendit.

DE Resurrectione etiam Christi multa à Sacra Scripturā habemus testimonia. Ait

(a) Psal. 21. v. 17. (b) Osea 6. (c) Psal. 56. & Psal. 107. (d) Psal. 111. (e) Psal. 67. (f) Psal. 118. v. 7. (g) Isaiā 53. (h) Psal. 23. 8.

Oseas: [b] *Duobus diebus viuificabit nos, & post duos dies suscitabit nos.* Quod apertius testimonium de passione & morte Christi, & resurrectione? Item in psalmo introducitur Filius loquens ad carnem suam; [c] *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara, &c.* [d] *Gloriam suam vocat Christus humanam naturam suam, in qua glorificatus est, in qua gloriosa egit. Eandem vocat Psalterium, quantum ad carnis glorificationem, & ascensionem, quia psalterium resonat à superiori. Eandem vocat cytharam, propter passiones quas humana Christi natura sustinuit, quia cythara resonat ab interiori. Et in psalmo ait Christus; [e] Quoniam non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi: *Et resurrexit caro mea.* De eius Ascensione legitur: (f) *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Hic insinuat, quod Christus ascendit in cælum, & duxit secum animas Sanctorum, quę prius captiuatę tenebantur in inferno. De eadem Christi ascensione alibi legitur: (g) *A summo celo egressio eius, & occurſus eius vsque ad summum eius.* Et in dialogo Isaie, vbi introducuntur Angeli admirantes Christi Ascensionem: (h) *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et in psalmo: *Quis est iste Rex gloria? Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio.* Hęc contra Iudæorum errores dicta sufficiant.

Explicat Liber Tertius
contra Iudæos.

Hhh 3

INCI-